

titulos, nomen, honorem et gloria praeconia, illi improborum hominum sectae, quae doctrinam coelestem corrumpit, sacramenta prophanat, impios errores et cultus docet ac defendit, conscientias hominum prauis opinionibus ac superstitionis traditionibus illaqueat et grauissime onerat, immani pios segnitia persequitur, ecclesiam ueram deuastat, cuius tamen nomen et praerogatiuas falso usurpat, cum omnium tamen malorum camerina existat. Hae, inquam, sectae uniuersam ecclesiae sanctae gloriam tribuere horrendum sacrilegium est. Quod tamen et factum esse et adhuc fieri nemo ignorat. Similiter quae de notis et signis ecclesiae liber habet, etsi manca mutilaque sint, nec omnia, quae hoc pertinent, comprehendat, tolerari tamen posse fatemur. 10

### De autoritate et potestate ecclesiae.<sup>23</sup>

Quia non potest solui scriptura, non habet ecclesia ullam supra uerbum Dei autoritatem, a quo quicquid uel est uel habet id esse uel habere dignoscitur. Vnde scripturae canonicae ecclesia uera testis est ac praedicatrix, falsa uero eiusdem index et de-[205:]prauatrix est. Interpretationis scripturarum non 15 potestas in successione ordinaria perpetuo mansura data est, sed donum scripturas interpretandi nulli uel certo hominum gradui uel ordinariae successioni uel personae alligatum a Spiritu sancto liberrime donatur, qui et hoc et alia omnia spiritualia charismata quibus uult, quando uult, quantum uult gratis dispensat. Quod de traditionibus extra scripturam, tanquam a Christo 20 et apostolis per manus traditis liber gloriatur, uanum est. Excommunicandi absoluendique potestatem penes ueram ecclesiam esse ingenue fatemur, sed iurisdicendi potestatem nullam uel habet uel exercet uera ecclesia, nisi ex scripto iure, ex uerbo Dei in scriptis propheticis et apostolicis patefacto. Conciliorum, quae humana autoritate indicunt, autoritas neque magnificienda est nec ligat fidelium conscientias, nisi cum legitime conuocant et iuxta amussim uerbi Dei dogmata explicant, haereses damnant et dubia declarant. Sed quoniam pleraque multa, quae post apostolicum et praecipua ecclesiae primitiuae concilia non fuere illis uel paria uel similia, parum illis uel autoritatis uel fidei tribuendum sentimus. 25 30

### [206:] De ministris ecclesiae.<sup>24</sup>

Si liber nullum superstitionis ordinandi ritum nec a consuetudine apostolica, quam ex Actis citat,<sup>25</sup> alienum urgere intendit, ea, quae de ministris cum uocandis tum ordinandis continet, approbare possumus.

<sup>23</sup> Vgl. Augsburger Interim XI, 67. 69.

<sup>24</sup> Vgl. Augsburger Interim XII, 71.

<sup>25</sup> Vgl. das Zitat von Act 13,2 in: Augsburger Interim XII, 71.